

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Jakob Breiger Joachim Fromm

## **Disquisitio Quaestionum Physicarum De Coelo**

Rostochii: Pedanus, 1619

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729266303>

Druck Freier  Zugang



J. Breiger  
R. U. phil. 1619.



ΣΥΝΘΕΩ  
DISQUISITIO  
QUÆSTIONUM PHYSICARUM  
**DE COELO**

*Quam*

D. T. O. M. A.

*In florentissimâ Rosarum Academiâ*

P R E S I D E

M. IACOBO BREIGERO,

Publicè disputandam exhibet

JOACHIMUS FROMMIUS

Wusterh. March.

Habebitur in acroaterio majori 14. Augusti



ROSTOCHII

Typis exscripsit Joachimus Pedanus, Acad. Typ.

ANNO M. DC. XIX.

*A M P L I S S I M I S P R U D E N T I S -*  
*s i m i s v e r a q ; p i e t a t e p r u d e n t i a a c d o -*  
*c t r i n a c o n s u l t i s s i m i s ,*

**D N . C O N S U L I B U S ,**  
Scabinis, inclutæq; Reipublicæ  
VVusterhusanæ Senatoribus  
fidelissimis

N E C N O N

*Reverendis , reverenda dignitate , pietate exi -*  
*miaq ; humanitate doctissimis viris*

**D N . B E N E D I C T O F R O M M I O ,**  
Ecclesiæ VVusterhusanæ Archidiacono  
meritissimo , patruo :

I T E M q ;

**D N . A N D R E A E F R O M M I O ,**  
Ecclesiæ Plönizenlis curatori di -  
gnissimo , germano :

*Omnibus & singulis Mecenatibus , Affinibus ,*  
*favoribus ac promotoribus meis debit à animi observantia*  
*prosequendis , et eternum suspiciendis ,*

*Hoc supraeius philosophicum*  
*de caelo pio zelo*

**D . D . O . C .**

*Joachimus Frommius*  
*Auct . & Resp .*





## PRO OIMION.

Ivinum istud omnium Oratorum  
gracorum robur ( Demosthenem puta ) non  
minus graviter, quam suaviter dixisse fertur,  
illos gravissima dignos esse vituperatione,  
qui abundantes sint in rebus ociosis ac pensis  
nullius: inopes verò in pulcris atq; nobilibus. Sic enim prater-  
quam quod hac ratione natura sua, quam à Deo accepere in-  
tegram, nequissimi sint decoctores, Scalig. exercit. 321. ipse  
quog; quam languidum, quam enervatum alant animum, sat  
indicant, dum neminem excelsi ingenij virum, attestante Se-  
neca lib. 5. Epist. 39, humilia delectent & sordida, sed alta,  
sed sublimina, sed divina, in quorum si animus admittitur  
cognitionem, copiosè & suavè alitur, crescit plurimum, ac ve-  
lvet vinculis liberatus, in originem unicè reddit: ait iterum Sene-  
ca. in prefat. lib. 1. Nat. 99. Hoc oculatissimi hujus philosophi  
judicium & nos secuti, terrena & humilia paulisper seponen-  
tes, cæli sublimitatem introspiciamus, nobilitatem aureâ tru-  
tinâ trutinemus, virtutemq; ejus & efficaciam pro tenui nostro  
ingenij modulo pensiculatè pensiculemus. Quid interdices  
mihi inspectionem rerum naturæ, ac toto abductum rediges in  
partem? Ergo ista non queram? ego nesciam, unde descen-  
derim? Quid vetas me cælo interesse, id est, jubes me vivere  
capite demiso? Major sum & ad majora genitus, quam  
ut mancipium sim mei corporis. Sen. lib. 8. Epist. 65. Viam  
qui nescit, quâ veniat ad mare, eum oportet amnem querere,  
comitem sibi, ut scitisimum habet dixeritum Plauti, qui verè  
enusarum hortus est. Amnis iste est augustissima cæli machi-

A 2

na

Pax

at, in divinitatem quasi nos ducens divinitatis cognitionem: Divina hec sunt, cœlestia sunt, queramus ea & quidni queramus? Cum nulla res sit natura hominum convenientior, quam hæc ipsa inquisitio, ob quam & oculi hominibus dati unicè: Plato in Timæo. Cum de sententiâ Anaxag. apud Laërt., natūrā sint ad unum omnes homines ēs, Graecis in his ratiōnib[us] & regiā: Cum corpora cœlestia inspicere ritè hæc discere, his ingumbere, sit transilire mortalitatem suam, & in meliorem, transscribi sortem. Sen. in præfat. lib. 1. Nat. 99: Cum deniq[ue] nemo aliás oculos suos in ignorantie limum defixos ad aliarum rerum contemplationem commodū elevare posset, qui in cœli contemplatione industria suam non probavit. Cic. lib. 1. de Nat. Deor. Cæli ergo jam rimabimur essentiam, ut conditoris ejus miremur omnipotentiam: illius speculabimur virtutem, ut ad opificis accingamur gratitudinem.

### Q U E S T I O I.

An cœlum sit corpus naturale simplex?

#### T H E S I S I.

**P**οιῶτε Σημιωτέροις ὡς εγὼ ἔχει τὸ Φύσιν, ὅσῳπερ ἀ-  
φένται τὸ ἐλαῦθα τάλεον. Arist. lib. 1. de cælo cap.  
2. t. 16. Hoc ut verum quidem est, ita nos autem, quo-  
niam ad presentis problematis ventilationem non facit, eā  
minus jam de eo erimus solliciti, sed statim quid res sit, dicamus.

2. Licet autem à cordatis philosophis hæc questio non in  
dubium revocetur, cum dudum à philosophorum coryphaeis cœ-  
lum è corporum naturalium numero minimè eximendum esse  
conclusum sit. Religio verò quosdam incepit, quò minus cælo-  
materiam apponentibus assentirentur, Scalig. exercit. 61. sect. 1:  
Quò concessò & ipsum corpus naturale Cælo tandem denega-  
tumiri in propatulo est, cum omne corpus constet ex materia.

& for.

& formâ: & in materia; omnium dextre Philosophantium suffragiò, sit principium corporeitatis. Facere enim corpus sine materiâ, est facere in somnum sine somno, Scalig. exercit. 359. sect. II. Materiâ ergo sublatâ tollitur totum corpus. Hac quæstio autem, quoniam est bimembris, ideo de priori primûm erimus solliciti, thesinḡ nostram sequentibus probatam damus argumentis.

3. 1. Cui competit definitio, eidem & definitus: Calo competit definitio corporis naturalis. E. Minor probatur: Corpus naturale definitur ἡτία Φύσης ἔχοντα. Cælum est tale quid. E. Minor vicissim probatur ex ipso Arist. lib. 2. Phys. Cap. 1. t. 3. ubi natura definitur ἔχοντα τὴν φύσιν τὸν κανόνα τοῦ περιεγένετον, τὸν ὑπάρχειν τελετῶν καὶ τὸν νόμον τοῦ συμβεβηκότος.

4. Et licet cælum semper moveatur, nunquam quiescat; in se principium quietis tamen habet. Vocabula enim illa motus & quietis non semper conjunctim, sed partim conjunctim, partim disjunctim sumenda sunt. In omni enim re naturali non utrumq; sed alterutrum præstans est: Perer. 17. c. 4. Sic omnes res naturales, vel tantum moventur vel tantum quiescent, vel modo moventur, modo quiescent 8. Phys. C. 3. t. 21. Ita cælum potest dici quiescere, vel quia semper (quoad totum) in eodem suo manet loco, vel si non actu, tamen si creditur nonnullis potentia.

5. 2. Omne compositum ex materiâ & formâ est ens naturale. cælum constat ex materiâ & formâ. E. Min. probatur, quia unumquodq; sub sensum cadit ratione materia Mag. lib. 2. Phys. C. 2. th. 9. Cælum autem est ejusmodi: est enim sensibile in materiâ existens Arist. lib. 1. de calo t. 92. Dicitur etiam cælum, à Scalig. ex. 61. sect. 5. quantum: Quantitas autem proficit ex materiâ, Suarez. tom. 1. disp. Met. 13. num. 25. quantitas etiam concomitant materiam Mag. d. l. Hoc jam evicto cælum nimis constare materiâ, de Formâ etiam non

A 3

erit

erit dubium, cum materia formam attrahat, ut magnes ferrum Barth. in encycl. phys. p. 188. Omne enim individuum sensile non tantum materia, sed & forma constat. Arist. d. l. cum materia sola subsistere nequeat Scalig. ex. 61. sect. 5.

6. Quicquid est aptum natum esse alicubi, & cui locus est aliquis, illud corpus naturale sit necesse est Arist. 3. phys. C. 5. t. 48, cum impossibile sit corpus naturale esse in infinitis seu pluribus tantum locis: At verum est prius de cœlo. E. & post: vide Arist. lib. 4. phys. C. 5. t. 45. & Scalig. ex. 5. f. 3.

7. Quicquid continet corpus naturale, illud etiam corpus naturale sit necesse est, cum naturale à nonnaturali contineri nequeat, de cœlo C. 8. t. 97. cœlum autem suo ambitu omnia corpora naturalia continet, extra cœlum enim nullum corpus deprehenditur. Arist. d. l. & Scalig. omnia quæ hic sunt in superioribus tanquam in principijs secundis existere dicit ex. 18. Plura hic adducere, non opus esse censemus cum Arist. ipse cœlum corpus aliquoties expressè nominet lib. 2. de cœlo f. 17.

8. Ad posterius autem membrum, an cœlum cum est corpus naturale sit etiam simplex, notandum, corpora in duplice esse differentiæ: Alia namq; sunt simplicia, alia composita. Nos ad classem primam cœlum referimus, non tamenn ita, ac si omnis compositionis sit expers, cum certè materia & forma aliquam compositionem inferat, sed quatenus compositione mixto sumitur. Simplex enim hoc loco non opponitur ei quod est compositum, sed ratiuncula. Quando ergo Arist. cœlum vocat simplicissimum, facit hoc ratione & respectu Mixtiorū, an & elementorū, quæ etiam sunt corpora simplicia, sed non tali ut cœlum gaudent simplicitate, quæ ex arctissimâ illa exordi materia & forma cœli oritur? qui Et hæc sufficient pro parte nostrâ, qui ut brevitati studeamus, contraria argumenta non adducimus sed in usq; disputationis actum ea reservabimus.

Quæst.

Q UÆSTIO II.  
An Deus sit extra cœlum?

T H E S I S I.

**N**on nostra fragilitatis est cœlorum secreta discutere, inquit August., lib. de fide & Symbolo C. 6. Nostrum enim est, non ~~rumini~~ ea intellectum nostrum excuperantia, sed mirari. Suspireremus humiliter, non disputemus de ijs subtiliter; non scrutemur sed sectemur; Non appetiamus habere cognitum, quod Deus esse voluit secretum, inquit Ambrosius. Nos tamen exercitiij loco breviter hæc discutienda nobis assumimus. Et quidem primo stabiliamus nostram thesīn, & postea argumenta etiam videbimus contraria.

1. Pro parte ergo nostrâ affirmativâ premitimus 1. Sacram scripturam, qua clavis est scientia Luc. 11 ideoq. merito preferenda. Adducimus autem unicum istud pro omnibus, locum nimirum ex 3. Reg. C. 8. v. 27. Si cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt quantum minus domus hæc, quam ædificavi? Hinc tale necimus argumentum: Quem cœli cœlorum capere non possunt, ille etiam cœlo includendus non est: At Deum cœli cœlorum capere non possunt. E.

2. Item Patres admodum reverenter & hic piè etiam locuti sunt, ut Bernhardus piè scribit in serm. de verbis Habacuc: Quid dixi miser? Sed ubi non est? altior est cœlo, inferno profundior, latior terrâ, mari diffusior. Nusquam est, & ubiq; est, quia nec abest ulli, nec ullo capitur loco. Hinc tale fit argumentum: Qui altior est cœlo Dei, qui nusquam est & ubiq; est, qui nec abest ulli, nec ullo capitur loco, ille omnem locabilitatem superat, & per conseq. omnes cœlos creatos, cum hæc non sint localitatis sed simpliciter majestatica verba. At verum est antecedens de Deo. E. & consequens.

3. Imo

4. Imo philosophi Ethnici quamplurimi idem statuerunt.  
Hermes Trismegistus in Asclepio : Deus supra verticem summi cœli consilens ubiq; est , omniaq; cernit. Hinc sic colligitur : Qui est supra verticem summi cœli &c. ille non loco alligandus sed ubiq; potenter regnare omniaq; implere merito dicendus est : At verum prius de Deo, E. & post. Et alio in loco idem philosophus Deum sphæram intelligibilem vocat. Quibus verbis procul dubio summam Dei perfectionem innuere voluit , cum omnium perfectissima sit sphærica forma. Idem statuerunt Plato & Arist. de quo probl. seq;. Propius autem accedere hi homines , tanquam in Christianâ religione non, edicti atq; ediscati, non valuerunt.

5. Jam deinde contraria argumenta quod spectat, absolvuntur ea potissimum hisce tribus argumentis. 1. autem sumunt ab absurdo: Deum in nihilo confidere posse dicunt est absurdum dicere. Extra cœlum autem est nihil. E. 2. ab intellectu rationis: Spatium enim illud , in quo Deus extra cœlum à quibusdam collocatur, quia tantum imaginarum est, ideo etiam Deus non verè, sed nostra tantum mentis conceptu ibi existere dicitur. 3. sumunt ab operatione. Substantias enim materie expertes non nisi per operationem in loco seu ubi esse collocandas, dicunt. Deus vero quia extra mundum nihil operatur, ut presentiā suā adducunt August. lib. ii. confess. C. ii. ubi dicit : antequam Deus faceret cœlum & terram non faciebat aliquid. Si faciebat, quid nisi creaturam t: quia Dens etiam extra cœlum & terram in nihilo operari non potest, & nihilominus promisit, sese tanquam summum bonum suis semper velle communicare, ideo etiam per conseq. in cœlo & non extra cœlum necessariò eum esse collocandum, putant. Et in hac sententiā fuerunt Scotus, Durandus Capreolus & complures alij. Quis autem putasset , mundum iam portentosos cum Meli incolis ferè Atheismum colentes alere homines, tam impie  
de

de D E O statuentes , potentiamq; ejus infinitam tam male  
coarctantes . Quid hoc fere aliud est , quam cum Holoferne bla-  
phemio omnino Deum negare , quid hoc aliud est , quam more  
Goliathi adversus eum venire . Sed nullum monstrum tam  
horrendum , quod nullos Philistaeos sequaces , quod nullos habeat  
fautores . Utinam non haberet , sed res aperta est . Præsens  
exemplum , Babel & confusio , Sodoma & Gomorrha nimis  
hoc verum esse arguunt & loquuntur . Sed jam ad contraria  
argumenta .

6. In primo ergo concedimus majorem , extra cælum ni-  
mirum nihil esse præter Deum . Subsumptionem vero negamus ,  
Deum nimirum subsistere non posse , nisi subsistat in alio , nempe  
cælo , cum opera intra se non possint continere opificem suum ,  
qui & ante opera existebat , à quo etiam omnia opera pendent  
non autem contra ; cuius ope ad sui substantiam omnia indi-  
gent , non contra . *Αὐτὸς δὲ εἶπεν τῷ μαύρῳ τοληγῷ ,*  
*καὶ ὅτι τὸ μάυρον εἶ τοῦ οὐρανοῦ τὸ μάυρον ,* ut loquitur  
Damascenus . Et ergo Deus extra mundum non alijs , sed sibi soli  
præsens : Sic ante mundi creationem non fuit in aliquo , sed in  
semetipso , sibi soli perfectus , sibi soli beatus . Simil enim  
se intelligit : simul se amat , ac fruitur suâ immensa bonitate  
Scalig ex exercit . 307 . dist . 26 .

7. Ad Secundum . utrāq; manu largimur , istud spatiū ,  
quod extra cælum à quibusdam cōstituitur , non esse reale quid ,  
sed , ut loquuntur , imaginariū , nihilominus tamen reale alti-  
quid notat , quoniam enim in rebus à sensu remotis balbutit  
humana lingua Scalig . ex . 359 . sect . 5 . & nostra scientia in  
divinis est quasi umbra in sole , ut alibi docet . Ideo Deum jam  
extra cælum aliter concipere non possumus , quam si statuamus ,  
Deum extra cælum spacia ista imaginaria præsentissima suâ  
divinâ substancialiter replere . Malumus ergo istis

B

paucis

paucis bene esse contenti, quam cum alijs ex cerebri sui iniquâ  
staterâ fulmina veritatis contemplantibus miserè errare.

8. Ad tertium, negamus substantias materiae expertes  
esse tantum in loco seu ubi potius per operationem si enim ratio-  
ne operationis tantum sunt in loco seu ubi: Ergo ratione essen-  
tia sua necessario erunt ubiq., cum forte hi tres tantum modi  
occurrant, quod tamen de animis beatorum & Angelis, qui re-  
ipsâ definitivâ sunt in loco, est absurdum dicere. Et si hoc  
verum, ipse Deus per operationem suam etiam in loco esset collo-  
candus, quod itidem absurdum. Augustini verba quod atti-  
net, responderemus ea in respectu ad creaturas esse intelligenda,  
& sic distinguendum erit inter Dei operationem quoad ex-  
tra & quoad intra: Secundum illam ante cœli terræ & consti-  
tutionem nihil peregrine Deum libenter concedimus: Secundum  
hanc vero non item. Non enim statim dicendum est, non fecit  
creaturas, ergo fuit otiosus? in sacris enim pandectis aliter  
edocetur, Deum nempe elegisse nos in Christo ante con-  
stitutionem mundi. Curiose vero querentibus, responderemus  
cum Lutherio ex Augst: Er hat diesen fürwirigen Fladdern  
gestern die Heile gebawet. Quod autem additur, Deum tan-  
quam summum bonum suis sese semper velle communicare,  
ideoq. extra cœlum, cum bonitatem suam ibi exercere nequeat,  
non esse collocandum: Hac verba non arguunt, sed potius confir-  
mant, Deum non esse alligandum ad res extra se existentes, sed  
eum tanquā liberrimum agens ubiq. potenter regnare, omniaq.  
sua infinita bona omnibus diligentibus cum communicare.

9. Conclusum ergo esto: Deum queq. extra cœlum &  
terram existere, quia illo nihil majus potest concipi: Si vero  
extra cœlum non esset Deus, Deo aliquid majus concipi posset,  
id quod dicere, nou est hominis Christiani.

QUEST.

## Quæstio III.

Utrum Aristoteles cognoverit hæc, quo-  
rum in præcedenti facta est mentio? & num Deum tou-  
mundo singulisq; ejus partibus præsentem  
esse eum non latuerit?

### THEISIS I.

 Iacet Philosophorum hæc in re non consentiens fucrit  
opinio: Ægypti enim Deum in cœlesti domicilio, ut in  
proprio loco statuebant; ideoq; ipsum, ut erant Hiero-  
glyphicus assueti, caruleâ ueste indutum, manu alterâ Zonam,  
altera sceptrum tñentem pingebant, ut testatur Eusebius lib.  
3. de preparat: evang: Per Zonam autem admirandam Dei  
potentiam, quâ continet universa; per sceptrum, Regiam illius  
dignitatem, vestig; caruleâ ejusdem in cœlo habitaculum si-  
gnificare voluerunt. Alij rursus Deum in centro mundi esse:  
fors ut inde operationes suas, quasi lineas, ad totam mundane  
machina perispharam explicaret, arbitrati sunt. Alij deniq;  
rursus Dei sedem sphara ignea, vel etiâ supremo caelestium cor-  
porum globo definierunt. Hisce poshabitis, maxima tamen phi-  
losophorum pars, Deum ubiq; esse, ubiq; præsentia sua omnia  
gubernare, statuit juxta versum:

Enter præsenter, Deus hic & ubiq; potenter.

Id quod imprimis Orpheus in hymno Saturni hisce verbis in-  
cludit:

Ἄς ναινε τῇ μάρτια μέγη κύπευον θόλος ἄρχα. h. est:  
Qui omnes mundi partes habitas generationis princeps.  
Pythagoras quoq; Deum appellabat Θύμων τὸ μαρτίον, ani-  
mationem universi, ex qua sententia hujus generis alia, qua  
tanquam brevioris studiosissimi jato tacemus. Unicum ta-  
men adhuc insinuamus, quod tacere non possumus, Aristotelis  
nempe sententia, an ille etiam Deum ubiq; esse cognoverit

B 2

2. Sic

2. Sic autem existimasse eum Demonstrari potest primo ex eo, quod scripsit lib. i. de caelo C. 9. t. 100. Φανερός ἔργον, ὅπερ τὸ πόνον, καὶ πένεντα τὸ χρόνον ἐπιτίθεται διόπερ τὸ εἰς τὸν φυσικὸν πίστην, τὸ χρόνον αὐτὰ γενέσται, ἐδήλωτος ἀδειάς μεταβολῆς τῶν ὑπέρ εἰχωντα τῶν παγυμάτων Φορέων: αλλ' αναλογίας, καὶ ἀπαρχῆς τῶν αρχέων ἔχοντα τὸν χρόνον καὶ τῶν αὐτοφερεστῶν, παραπλήσιον απαντᾷ σύνοντα. Hac verba Scalig. ex. 365. Sect. 5. adeo commendat, ut illa aureis, imo vero cælestibus describenda notis jubeat.

3. Deinde dilucidari hoc etiam potest ex. 1. lib. animal. C. 5. ubi commendat dictum Heracliti, qui casam aliquando ingressus furnariam, quoniam ignis hyberni gratia diutius sedisset, & alloquentes eum accedere temperarent, fidenter introire eos jussit, ne enim huic loco desunt immortales Dij. Quibus procul dubio ostendere voluit, non etiam ab exiguo inguriolo Deum abesse & loca etiam abdita visitare h. c. ubiq; adesse.

4. Præterea hoc etiam dilucidari potest ex lib. 2. Met. 2. C. 2. ubi non dari progressum in infinitum in causis agentibus, dicit, sed tandem pervenientium esse ad unam omnium rerum effectricem causam scilicet Deum. Et lib. 12. Met. C. 8. Deum absolute principium, primamq; causam vocat, adeo ut etiam Dæmones esse opus Dei, afferat lib. 2. Rhetor. C. 23. Deumq; totum complere continuamq; facere generationem, profiteatur lib. 2. de gen. & cor. C. 10. t. 59. Quid jam hoc aliud est, quam cum Scalig. ex. 365. dist. 2. Deum dicere esse omnia, super omnia, præter omnia: cuius

Nusquam ambitus est: medium nullibi, atq; ubiq;

Dices esse bonum sine qualitate. Fuso.

Extensio nulla est: Sine quantitate magnus.

Cujus velle potentia: cui opus voluntas.

Intra omnia: sed non tamen inclusus in ipsis.

Extra omnia: sed non tamen exclusus ab illis. f. 10.

s. Quid!

5. Quid hoc ferè aliud est, quam cum Theologis, qui cum ex Pindaro vate Graco deputisit, ex Nazianz. dicitur, agnoverunt, averruncatorem mala averruncantem, aut ζότον, οὐταράσθι nominarunt; Quid hoc deniq; aliud est, quam admirabilis ambitus voce ad magis magisq; exprimendam Dei majestatem excogitatā dicere Deum autem? Ipse enim est autē dī autē rōv, ut alibi idem philosophus Deum appellat. Scalig. eadem ex. dist. 5.

6. Ne autem minus utilia tractare, magis autem necessaria praterire videamus, levi manu etiam ealoca, quæ in contrarium afferri solent, quasi in transcurso attingamus. Primus ergo habetur 8. phys. C. ult. t. 84. ubi docuit duas esse potissimum in universo partes, in quibus Deus maximè esse videtur, nempe medium & circumferentiam, quæ totius sphæræ principia sunt.

7. Sed resp. cum Thoma super hunc textum, Arist. non constituere Deum in supremo globo cælestium sphærarum quasi in loco, sed quod inibi uberior ac illustrior sit ejus operatio. Nam sicut nos vulgo dicimus: Deus habitat in cælo, non ac si Deum cælo alligare velimus, ideoq; non ubiq; præsentem dicere, sed quod à potiori quasi debeat fieri denominatio. Ita dubio procul etiam Arist. intellexit, Deum nimirum esse in medio & circumferentiâ, ob incitatissimum in eâ cæli parte motum. Ejusdem farinæ est locus 1. de cælo C. 3. t. 22, ubi communem mortalium consensum, Deo in cælesti opificio sedem attribuent, approbat. Qui enim medium & circumferentiam implet, illisque præsens est, ille totam rem possidere, totiq; rei præsens adesse rectè dicitur, & qui in cælesti opificio tanquam in aliis tamen non ita crasse Arist. extra dubium intelligere, sed summam Dei virtutem illis exprimere voluit.

B. 3

8. Præ-

¶. Præterea etiam ad ista loca, quæ de distantia corporum à Deo loquuntur, dicimus, Aristotèlem distantiam accipere, non pro inter capedine spatiū, sed pro naturæ dissimilitudine: ut sit sensus, illa à Deo longius distant, quæ perfectionis gradu ad eum minus appropinquant. Hisce etiam consentire videtur August. dum fecisse Deum, dicit, unum prope se naturam scilicet Angelicam: alteram prope nihil, id est, materiam primam. ubi August. planè non de spatijs propinquitate aut distantia loquitur, sed de naturæ dissimilitudine, ut jam dictum. Hoc Coronidis loco addimus: aliud esse ex naturali cognitione suâ Deum dicere ubiq., & aliud ex Christianismi sui informatione. Nam huc pertinent gravissima illa verba B. Chemnitij, quæ extant part. 1. L. C. Theolog. part. 1. C. 1. q. 2. notitia naturalis de Deo verè loquendo: aut nulla, aut imperfecta, aut languida est.

#### Quæstio IV.

An corpora cœlestia agant in hæc inferiora?

#### Thesis I.

**A**dmodum præclare imò divinè divinus ille in Metamorphosi suâ:

Pronaq; cum specent animalia cætera terram,  
Os homini sublime dedit cœlumq; videre.  
Jussit, & erexitos ad sydera tollere vultus.  
Jussit, ais, sed quis jussit? Deus ille Deorum.

Hujus Dei nostri omnium Deorum jussu vultum nostrum (ut cum Poëta loquamur) directè ad sydera tollentes, an corpora cœlestia in hæc inferiora agant, acie mentis nostra dispicie-

mus.

2. Et

2. Et licet multi stent à parte negativa aliquibus rationibus moti, quas postea videbimus. Nostamen pro-sententia affirmativa, ut nobis verissimam, sequentes adducimus rationes.

3. Testatur autem hoc 1. quotidiana experientia, videmus enim quotidie solem inferiora hæc collustrare luce suā, omnia calefacere, lunam & stellas noctu lucere: id quod & Arist. probat. lib. 2. de caelo C. 7. t. 42. ubi dicit, quod calor & lumen ab astris generetur. 2. Evincunt hoc etiam astrorum officia in hisce sublunaribus. Alterationi enim & generationi inserviunt, calorem & frigus instillant, tempora anniversaria distingunt, quatuorq. anni mutationes efficiunt. 3. Probant hoc etiam stellarum connaturales & insitæ vires, ex quibus oriuntur diversi effectus. Luna enim habet vim humectandi, Saturnus vim refrigerandi, Mercurius vim excitandi ventos, Mars habet vim exiccandi &c. Mag. lib. 2. C. 4. p. 160.

4. Deniq. illud etiam testatur Vir Dei Moses, qui dicit, astra à Deo in signa esse condita; per qua signa autem non intelliguntur syderum imagines, siquidem Moses ibi agit de astris in se consideratis ut Genes. 1. v. 14. 15. Deut. 4. v. 19. Solem & lunam & omnia astra coeli creavit (distribuit). Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus.

4. Partem jam contrariam quod spectat, pro suis sententiis sequentia adducunt argumenta. 1. Omne agens agit ideo, ut similitudinem sui effectui imprimat, quod tamen corpora cœlestia non faciunt. 2. Inter agens & patiens mutuus requiritur contactus Arist. 7. phys. C. 7. t. 12. Cælum vero longe distat ab hisce inferioribus. E. 3. Quales sunt virtutes & motus cœli, talia etiam debent esse ejus effecta. Sed vires & motus cœli sunt stabiles & rati, Dionys. in epist. ad polycarp. E. etiam ejus effecta erunt talia, quod tamen est à Cœlestibus immo ἀδύνατον. Introduceretur enim rursus in ecclesia præceptum Stoicorum illa necessitas dudum explosa, damnata.

55 V

5. Quare nos respondemus ad primum. Homonymiam  
nempe esse in vocabulo (agens) Quadam enim agentia agunt  
univocè, & hæc sui similitudinem effectui imprimunt, qua-  
dam verò tantum agunt equivocè, ut cælum in hæc inferiora,  
quod non agit, ut sibi simile aliquid in specie producat, sed se-  
cundum virtutem. Non enim actu sed virtute, non affectu  
sed effectu talia sibi vendicat. Dicit quidem philosophus,  
Sol & homo generant hominem, sed longè aliâ ratione  
generat sol quam homo. Ad Secundum distinguimus inter  
contactum mediatum & immediatum, concedimus inter agens  
& patiens requiri contactum sed non necessariò semper imme-  
diatum. Non ergo opus est, ut quando corpora celestia in-  
hunc mundum sublunarem agunt, ut statim illum immediate  
tangant, sed satis est si tantum mediatae, quibus consentit Arist.  
1. de gen. & cor. C. 9. t. 54. ubi corpora celestia ideo valde in-  
strumentaliter generare dicit. Et siccine Arist. ex Arist. refu-  
tam? neg. dubium est, quin Aristot. h. l. tantum de contactu  
univoco fuerit locutus. Ad tertium respondemus, cæli motus  
quidem esse firmos & stabiles, inde tamen non sequi, nihil con-  
tingenter in hisce inferioribus contingere posse, sed omnia ne-  
cessariò evenire. 1. enim non omnia sublunaris mundi effecta  
à solo cælo dependent, ut in artificialibus potissimum videre  
est. 2. etiam cæli influxus sape modificatur & impeditur à  
causis particularibus. videatur D. Thomas in 2. dist. 15. quast.  
1. art. 2. ad 3. Conimb. lib. 2. de cælo C. 3. 9. Part. 3.

### Q U E S T I O V.

An aliquis effectus naturalis respectu  
cæli casu & per accidens eveniat?

#### THEISIS I.

Ulm Aristoteles 2. phys. C. 8. Naturam nihil tem-  
mere aut frustra, sed omnia finis gratia facere  
asserat, naturaq; in cœlesti corpore maximè regnet,  
hanc

merito dubitamus; sed ridiculum fors tibi? non tamen nobis. Ορθως διπλεῖν, ὡς δέχηται σοφίας ἐστι, dicit Arist. Est quidem dubitatio prohibitio progressionis ad intelligendum, sed cum motu disquisitionis, docet Scalig. ex. 321.

2. Ut autem dubitationi huic etiam aliquo modo satisfaciamus, primum notandum est, actiones cœli vel esse solitarias & sine inferiorum respectu absolvere effecta, vel in sui concursum etiam h.ec inferiora rapere.

3. Ut ergo actiones cœli sunt duplices, ita etiam earum duplicis generis effectus statui possunt: Alij enim in solidum à corporibus caelestibus dependent, & hi non sunt contingentes, sed simpliciter necessarij, ut sunt diei noctisq; vicissitudo annuaq; temporum varietas. Cœlestis enim motus, quoniam solus eorum causa est, nec aliqua causa contingens simul cum illo operatur, ille autem est ratus & stabilis, & impediri nequit: Ergo etiam talia erunt ejus effecta. Alij verò rursus non nisi sublunarium simul & inferiorum causarum administrculo & concurso absolvuntur. Et hujus generis effectus multos in inferiori mundo respectu cœli causa evenire, & per accidens admittere experientia testis est.

4. Fit a. hoc in reb. naturalib. potissimum triplici de causa, ut annotarunt Conimb. lib. 2. de cœlo. C. 3. q. 5. art. 2. 1. Ratione materia, quæ ob aliquam dispositionem influxum cœlestem frustra est. Ut si Aquarius cœteraq; astra aquosa ad pluviam fundendum in aliquem terra tractum confirarent, nec tamen ob inopiam vaporum funderent, cum è secco & areni solo visiderum vapores elici minimè possint. Si ergo inde segetum ariditas consequeretur, non corporibus caelestibus hoc adscribendum esset, sed prater illorum intentionem, casu hoc evenisse rectè diceretur. Et licet instantia loco speciosè aliquis ad hac obiecere posse videatur, soli illius siccitatem esse nihilominus à cœlo: negandum tamen hoc esse dicunt Conimb. l. d. Non

C

enim

enim omnes terrarum habitus affectionesq; à calo dimana-  
runt, aut per illius vim immutata sunt, sed pler. q; eas habent,  
quas prima origine ab auctore summo immediate instas acce-  
perunt. 2. Fit hoc propter defectum materia & agentis. Cu-  
jus rei exemplum adducit August. lib. 5. de civit. Dei c. 26.  
Cum duo gemini, alter mas, alter fœmina gignuntur, cum ta-  
men eadem astrorum vis in eorum conceptione concurrerit: ob  
materiae ergo diversitate illa sexus varietas consecuta est. Hinc  
etiam fit, ut propter materie defectum vel abundantiam sæpe  
non homines, sed monstra producantur. Et sic duxa puerista vñ a-  
griñ exuberans quæ materiam, aut deficiens in producendo ho-  
mine cali actionem impedire & causa monstrosi effectus esse po-  
test. 3. Denig, fit propter concursum fortuitum duarum causa-  
rum inferiorum, ad quem sequuntur effectus. Ut si quis tegulas  
à tecto liberè deiiciat, & alius similiter volens ac lubens, inscius  
tamen ejus modi jactus, illac ambulet; percutiatur autem tegu-  
la, non dicenda esset ista percussio per se intenta, sed fortuita  
facta, quia non fuit una causa libera, que utriusq; causa con-  
cursum per se intenderet. Conimbr. l. d.

## Quæstio VI.

### An cœlum sit dissolubile?

#### THESES I.

**Q**uod nulli datum est experiri, nullus conetur effari,  
habet regula à Bernhardo præscripta. Hac licet divi-  
na quasi sit prolata vox, quoniam tamen etiam de hac  
questione tam inter Theologos quam Philosophos controver-  
titur, breviter eam etiam, quasi in transcurso pertractemus.

2. Primò ergo vocabulum corruptibile varijs modis accipi-  
tur: vel 1. pro eo, quod ex se & suâ naturâ à vñ wç est incorru-  
ptibile, ut Deus. vel 2. pro eo quod nullam cum materia habeat  
conjunctionem, & hoc modo Angeli dicuntur indissolubiles,  
quia omnis corporeæ molis expertes sunt. 3. pro eo, quod et se  
mate-

materiâ constet, non tamen tenetur aliarum formarum desiderio, contrarias qualitates non admittens, & hâc ratione cœlum dicitur incorruptibile. Vel deniq; accipitur, pro eo, quod et si appetat, ex qualitate autē aliunde divinitus prædicta omni adventitia affectioni corruptionem aut noxiam invehenti aditum præcludit; & hoc modo immortalia esse beatorum corpora dicunt. Conimb. lib. 1. de cœlo C. 3. q. 1. art. 2. quibus (quoniam ex parte Papismum sapit) an in hoc ultimo credemus?

3. Stauimus autem, cœlum naturaliter quidem esse incorruptibile, cum nulla unquam in eo facta sit mutatio. Interitum tamen esse aliquando, non quidem modo naturali, sed eo modo, quo caput. Perer. lib. 15. Phys. C. 4. Capit autem non modo naturali, sed supernaturali; ut sacer codex habet. Ergo etiam ita rursus interitum censemus. Distinguimus ergo inter potentiam ad cœlum dissolvendum naturalem, qua in cœlo non est, ut dictum: & Obedientiam, ut vocant, quā ratione omnia à Deo dependentia in nihilum redigi posse nemo, nisi cui cornea fibra, negabit. Scalig. Ex. 61. sect. 5. Et hæc de cœlo tenus stylō breviter dicta sufficiant. Deo Trinuni sie laus & honor seculis infinitis.

#### PROBLEMATA.

1. An statio Solis & Lunæ Iosuæ 10. Solis item retrogressus 4. Reg. 20. derogaverit regularitati motuum cœlestium? N.

2. An particulae istæ extra & consimiles semper noctent locum realem? N.

3. An cœlum secundum substantiam vel tantum secundum vitiosas qualitates sit dissolvendum quæritur. Sunt, qui hoc sunt qui illud affirmant. Nos utriusq; argumenta insipientes, fortiora putamus, quæ pro substantiali transmutatione concludunt.

4. Communis est sententia, intelligentias definitivè esse in loco: & vera. Sed quid? annon & circumscriptivè? Sic opinatur. Etiandum, quando communis voce corpora circumscriptivè esse in loco dicuntur.

Præstantissimo, Humanissimoq;

Dn. JOACHIMO FROMMIO:

FROMMI, cur animum in poli recessus  
Flectis? quæ globulus serenioris  
ocelli capere haut potest: supra nos  
quæ sunt, ingenio an benè intueri  
quis speret Sapientiæ venator?

Pôl sperâsse, periclitarierq;  
FROMMI audes, juvenum polite FROMMI.  
Sic ergò alea jacta. At impetus heic  
mundi cerne rotatileis volantis,  
ac motum celerem orbicumq; Dic, qua  
hujus causa siet rotationis.

An Mentes superæ, Angeli vocatæ  
Scholis Theologis? An ab seipsis?  
Pars non-parya Sophæn propendet horsum:  
Stagirita prius tuetur. Ohe!  
dic nobis solidum, JOCHIME, verum.

L. Mg. applaudebat & addebat  
mantissa & Corollarij in vicem

M. Jacobus Breigerus.








merito dubitamus; sed ridiculum fors tibi  
bis. Ορθως δοκειν, ως δεখন মস ওফিস এ  
Est quidem dubitatio prohibitio progres-  
gendum, sed cum motu disquisitionis, doc-

2. Ut autem dubitationi huic etiam a-  
faciamus, primū notandum est, actiones ca-  
rias & sine inferiorum respectu absolvere e-  
concursum etiam hęc inferiora rapere.

3. Ut ergo actiones cęli sunt duplices,  
duplicis generis effectus statui possunt: Alij  
à corporibus cælestibus dependent, & hi non  
res, sed simpliciter necessarij, ut sunt diei no-  
annuaq; temporum varietas. Cælestis enim  
solus eorum causa est, nec aliqua causa conti-  
illo operatur, ille autem est ratus & stabilis,  
quit: Ergo etiam talia erunt ejus effecta.  
non nisi sublunarium simul & inferiorum cal-  
culo & concursu absolvuntur. Et hujus gene-  
tos in inferiori mundo respectu cæli casu even-  
dens admittere experientia testis est.

4. Fit a. hoc in reb. naturalib. potissimum i-  
ut annotarunt Conimb. lib. 2. de cælo. C.3. q.s.  
materiæ, qua ob aliquam dispositionem influxu-  
strata est. Illi se Aquarius ceteraq; astra aqua-  
fundendum in aliquem terra tractum confir-  
ob inopiam vaporum funderent, cum è siccō  
syderum vapores elici minimè possint. Si en-  
ariditas consequeretur, non corporibus cælesti-  
bendum esset, sed præter illorum intentionem, c  
rectè diceretur. Et licet instantia loco specios  
objicere posse videatur, soli illius siccitatatem es-  
cælo: negandum tamen hoc esse dicunt Coni-

C



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. \_\_\_\_\_